



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 24. Vicariatus Thessalonicensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI. priusquam de causa mea ad te relatum fu-
 A. C. 531. isset, sed hac mea admonitione multo ma-
 gis irritati sunt, quasi vero Sacram Se-
 dem nominando Ecclesiæ Constantinopoli-
 tanæ jura læsissim. Sententia recitata
 p. 1697. iterum ad Te appellavi. Ipsi me Ecclesiæ
 Defensoribus custodiendum tradiderunt;
 sed viri timentes Deum vades se pro me
 dederunt, sub gravissimæ multæ conditio-
 ne polliciti, me Civitate non excessurum;
 nam Persecutoribus meis maximæ curæ est
 prohibere, ne hinc abeam, & Sanctitatis
 Tuæ pedibus advolvam. Hæc in prima
 Sessione Concilii Romani acta sunt.

§. XXIV.

Vicariatus Thessalonicensis.

Sessio secunda post biduum celebrata.
 Theodosius Echinuntinus tertium Li-
 bellum tradidit Nomine Elpidii, Step-
 hani & Timothei ejusdem Provinciæ The-
 ssalicæ Episcoporum. Querebantur, quod
 Constantinopoli contra Metropolitanam
 suam contempta Jurisdictione Sacræ Se-
 dis, cujus Auctoritatem implorabant,
 Sententia fuisset pronunciata. Hoc Li-
 bello perlecto Theodosius Echinuntinus
 dixit: videtis, quantum in Canones pec-
 catum fuerit, nam quamvis constet, quod
 p. 1699. Sacra Sedes optimo jure in omnibus Mun-
 di

di Ecclesiis (*) *Primum teneat, tamen ad regendas Illyrici Ecclesias jure singulari gaudet, & quamvis etiam Antecessorum tuorum Decreta minime ignores, produco aliquot Epistolarum Exemplaria, quæ cum Epistolis in Romanis tabulariis asservatis, conferri peto.* Tum Bonifacio Papa jubente Epistolas illas Menas Notarius legit. Visuntur Epistolæ duæ Damasi Papæ ad Acholium seu potius Ascolum Episcopum Thessalonicensem datæ. Una Siricii ad Anysum. Duæ Innocentii, ad Anysum una, ad Rufum altera. Bonifacii tres ad Rufum, & duæ ad Episcopos Thessaliæ. Epistola Honorii ad Theodosium juniorem cum Responsoribus. Una Epistola S. Cœlestini ad Episcopos Illyrici. Tres Sixti III. Epistola Marciani ad S. Leonem de Dignitate Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & S. Leonis Epistolæ septem. Præterea plures aliæ Epistolæ lectæ. Sed reliqua Acta hujus Concilii Romani non habemus, & suo loco de istis Epistolis mentionem feci.

§. XXV.

Bonifacii II. obitus. Joannes II. Papa.

Paulopost Bonifacio Papa Mense Dec. fatis

(*) Ad ejusmodi testimonia Interpres noster Protestans obtumescit. Quid enim contra afferre possit?

Sæculum VI.
A. C. 531.

Sup. XVIII
§. 12.

Lib. XXIV.
§. 31.

Lib. XXVI.
§. 39.